

Bibliothèque numérique

medic@

Gille, Jean-Joseph - candidat / Danié
Despatureaux, Guy - président. - An
amputationis prima Curatio topicis
anodynis instituenda ?

1784.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°108***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0108](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0108)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIJ Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martii vigesimâ-
tertiâ Martii, anni M. DCC. LXXXIV.

M. GUIDONE DANIE DESPATUREAUX, Doctore Medico,
Præfide.

An amputationis prima Curatio topicis anodynis instituenda ?

I.

QUI varios vulnerum status & gradus sedulò perpendere, in iis quatuor
diversa animadverterunt tempora, tempus scilicet inflammationis, tempus
suppurationis, tempus quo detergitur vulnus & tempus quo perficitur
cicatrix.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

Auxilia quæ per hæcce quatuor tempora experientissimi Medici, vulnorum curationi apta judicavere, per totidem distinctas dividerunt classes. Hinc sedativorum, maturantium, digestivorum, cicatricantiumque titulo donantur.

Itaque 1°. in usum vocata sunt sedativa remedia ut quodam modo propriorum partis integumentorum vices gererent, & ut erethismo, tensioni & inflammationi afferretur auxilium. 2°. Maturantia in hunc scopum adhibentur scilicet ut naturæ motus, cujus ope elaboratur perficiturque materia purulenta, ritè absolvetur foveaturque; nam omnia hujusce classis auxilia calore quodam vel fermentativo motu gaudent, & adhibentur cum resolutioni locus non fuerit. 3°. digestiva ad vulnere ut ita dicam digestionem scilicet repurgationem apta habita sunt. 4°. exsiccandorum vulnere, cicatricisque efformandæ causâ usurpata fuere cicatricantia medicamina. Sic opitulatur vulnere in statu inflammationis, suppurationis, repurgationis & cicatricis. Hæc quatuor plerumque stadia post membri abscissionem percurrit vulnus; at verò quàm mileri sunt ægri! Hi varii vulnere status experientiâ sedulo notati apud plerosque chirurgos nullius sunt momenti. Constat tamen exordium curationis haud rectè institutum, operationem licet ritè celebratam irritam reddidisse, & naturæ tantum detrimenti attulisse quantum auxilii intulissent sedativa seu anodyna remedia, si in primo curationis tempore fuissent adhibita.

I I.

LICET amputatio juxta leges artis instituta naturæ præstantissimum supeditet auxilium; vulnus tamen adeò grave, adeoque profundum, tot nervorum & vasorum læsionibus stipatum manifesta secum importat pericula, sive nimia irritatione, sive ægrotantis statu & habitu dum urgetur operatio, sive acerbissimo dolore, motibus spasmodicis, nec non hæmorrhagiâ. Quæ quidem omnia accidentia plus minusve molestè animalem afficiunt œconomiam; at verò non adest hic malorum numerus terminusve: debellanda etiam sunt pericula à partibus seclis orta, scilicet fibrarum nervæarum ab aëris contactu natales ducens irritatio, inflammatio & tensio, humorum nocivorum sanguinisque plethora, in maturationis tempore per textus cellularis mæandros abscessuum propagatio, gangræna, ac proinde febris admodum intensa cujus vehementiæ opitulari ut felix sequatur exirus arduum, si ex neglectâ temporis occasione, nam in hoc rerum ordine occasio præceps, evolvantur & crescant hæc omnia mala; nihil profectò dubii est quin ea plus minusve animalem frangant compagem, amputationis incommoda periculaque ingravescant. Cum tunc validiori gaudeat erethismo nervosum genus, Ita disturbantur corporis functiones ut ad prosperum operationis exitum vergere nequeat natura.

I I I.

CERTÈ inter vulnere quæ in corpore humano instituuntur? primum quoad magnitudinem gravitatemque locum tenent ea quæ amputationem sequuntur. Etenim sanguis in partem vulneratam advectus, vasorum truncis, quorum rami per omnes vicinas partes antea dispersi ingurgitationem in partis resectæ summitate procreat. At verò immodicus fieret ille sanguinis ad partes

appulsus & vitale brevi extingueretur principium nisi per collateralia minimaque vasa transversim juxta membri sectionis lineam sunt distributa, institueretur circulatio, est in ratione plethoræ membri resecti ingurgitationis periculum, subjecti habitus & remediū quod vulneri curando adhibetur in primā Chirurghi manū admotione. Citò citius phlegmonea adest inflammatio cujus fomes in textu celluloso. At verò convenientium topicorum usu, fluida quæ ingurgitationem procreassent, organicā sanorum vasorum actione ad vulneris superficiem propellantur. Sententia Chirurgorum à nostrā longè discrepat; contendunt enim remedium quod fluidorum fluxum ritè cohibere nequit, vulneri pariter immutando ita ut pus laudabile efformetur, impar fieri sanguineum vasorum infarctum, caloris augmentum, fibrarum tensionem tanquā necessaria putant. Sic falsis fulti ratiociniis anodynorum topicorum ope vulnus in ulcus commutari haud posse fuerunt arbitrati.

I V.

SICCATA topica in primo apparatu adhibita pro primariā inflammationis scæterorumque accidentium causā in membri abscissione haberi possunt. Nam topica hujusce generis nihil aliud sunt relativè ad fibrarum tenuitatem nervorumque recenter sectorum irritabilem naturam quā corpora dura asperitatibus hirsuta seu in principio seu post applicationem quibus irritantur & ex quibus oriuntur vasorum crispatio, fluidorum stagnatio & ad inflammationem propensio. At ve ò primo instanti vehementior & acerbior est illa inflammatio quā ut convenientem pariat suppurationem: sublato enim primo curationis apparatu vulnus foetidum sæpissimè exhalat spiritum, qui quidem nimium inflammationis gradum congestorumque succorum exaltationem majorem quāquæ ad eorum in puris conversionem requiritur itaque caloris illius temperandi causā suademus remedia anodyna quæ qualitate suā laxante lenienteque præstantissima sunt remedia ad nervorum sectorum sedandam irritationem idonea. Sic fibrarum oscillationibus moderatis, oritur depletio vasorum ac proindè cohibetur inflammatio.

V.

CURATIONI sedantium ope institutæ favent omnia experimenta. Quæ a nobis allata sunt argumenta oppugnari nequeunt ex obvio hæmorrhagiæ periculo. Moderata sanguinis effluxio quam suppeditant vasa, non incommodum, etiamsi copiosior quam sperare licet, foret hæc evacuatio imò nullum incommodum si conferatur illud cum perturbationibus quas procreare valet curatio cum linteis ficcis & carptis instituta ex quā maxima nascuntur discrimina. Itaque quamvis linteorum carptorum vulgaris vigeat usus, contendimus hocce tomentum vel colophoniam pulveratam cæterasque ficas substantias licet absorbentia putantur & in primo curationis gradu usurpentur, procul esse exulanda, & præcisè quia scilicet sunt absorbentia, ac proindè nervos irritant, minima occludunt vasa, adaugent calorem & partis extensionem majoris fluidi quantitatē stagnatione, undè sæpè sæpius exurgit ægri interitus. Illud quidem sæpius accidit in nosocomiis, in quibus pro primo apparatu ficcis linteis utuntur Chirurghi. Huic mansæ methodo adscribendus est putredinis discrimi-

4

numque frequentium quæ omnibus fere superveniunt amputationibus ortus, non verò inquinatis aëris qualitatibus & cæteris causis quibus immerito affiguntur; undè concludere pronum est

Primam amputationis Curarionem topicis anodynis instituendam esse.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Cl.-Andreas GOUBELLY, in Supremo Senatu Patronus.	M. Benj.-Michael SOLIER DE LA ROMILLAIS,	M. Max.-Josephus LEYS, Chi- rurgiæ latino idiomate Pro- fessor.
M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU, Eques, Regi à Consilii & Secretis, Regiæ Scientiæ Academiæ Socius, in horto Regio Botanices Pro- fessor & prodemonstrator.	M. Claudius LAFISSE.	M. Joannes DESCOMET, Cen- sor Regius.
M. Joannes-Jacobus NOLLAN.	M. Jos.-Ignarius GUILLOTIN, Scholarum Professor designa- tus pro annis 1785-7.	M. Guido DANIE DESPATS- REAUX, actus Præses.

Proponerat Parisiis JOANNES-JOSEPHUS GILLE, Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Thesèos Auctor.

A. R. S. H. 1784.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1784.